+

Rde in Christo Pater,

P. C.

Binas à Ra. Va. easque acceptissimas accepi litteras, et ex iis statum Ra. V.
Patris Stansel, Collegij Romani, et Urbis. Tandem cognovi. Faxit divina
bonitas, ut hae meae vos omnes salvos, incolumes, periculi immunes inve-
niant, et ut brevi laetiora de vobis accipiam. Credi non potest, quam
sollicitus sim pro Ra. Va., quam saepe de ea cogitem, loquar, somni-
em. Laetius in hoc mundo nuntium mihi afferri non potest, quam
ut intelligam, Ram. Vam. vivere ac valere: quare si me amat,
si me laetum esse cupit, si sine sollicitudine vivere, moneat me sae-
pius, aut moneri curet de salute et vita sua, quam plus amo
quam propriam. Utinam reipsa id comprobare liceret. Sed spero
meliora a DEO, a Magna Matre, quam amas, a qua amaris,
Pater dulcissime, optime, dilectissime, supra mortales omnes
amate. Vive, vale millies, millies millies, absens. Absen-
tem in amplexus tuos, osculor te, nec simulans, corde com-
mendor tibi, ô Pater, ô Pater Athanasi, ignosce.

Gaudeo Patrem Stansel convaluisse, et iam revidere Musaeum Kirche-
rianum, quod avidissime expecto, et omnem adhibebo operam, ut cito,
bene, et si licebit, auctum imprimatur. D. Schonwetter, qui opera mea
imprimenda susceperat, et alia postea scribenda, mortuus est. Pater illius
vir octogenarius, et Heredes eundem habent animum, et absoluta Mecha-
nica mea Hydraulica, imprimere volunt Magiam Meam, quantacunque
sit, et quantumcunque sumptuum. Doleo mortuum esse P. Todl in prae-
[illegible] manebat. Heu, ubi sit P. Gillenlöw, libenter ipsi scriberem.
Pecuniam ab Heydelbergensi acceptam statim mittam, ubi expressum nu-
mero à P. Koler, aut à Ra. Va. utrum ipsam P. Antonio tradere de-
beam cum detrimento decem imperialium, ut alias scripsi. Sum-
mopere placuit Ro. P. Rectori nostro, P. Cornaeo, et caeteris sociis atque ami-
cis, quod Ra. Va. eos salutaverit; resalutant omnes Ram. Pater-
nitatem, et longam vitam cum incolumitate ex animo precantur. Doleo
quod non acceperim litteras cum foliis pro Musurgia. Fortassis ad-
huc in cubiculo P. Koler haerent, qui solet eas postario tradere.
Expecto illas, sed quando vobis commodum fuerit. O si haberem
necdum Anti-Maybomium! saltem illa folia, in quibus de Vitruvii
theatro et fano ago; servirent mihi pro Magia Physica.

Iam saepius scripsi Ra. Va. de Magia mea Universali Naturae et
Artis, sed nullum unquam verbum pro responsione accepi. Cre-
do quod Ra. Va. non approbet consilium et laborem meum.
Sed Ra. Va. quam nimis ipsi nunquam satisfacio in rebus meis,
in illa tamen conscripta hactenus et conscribenda satisfacio mihi.
Credo quod philautia me decipiat. Ra. Va. perscribat mihi quan-
tum ~~meam~~ sciam. Opus inter scribendum crescit. Aliter plane
quam disposueram, disposui, atque composui: ubi theoriam prae-
mitto, praxin subiungo, ita tamen, ut praxis sine theoria legi
atque intelligi queat. Pars I. Optica, decem Libris comprehensa,
placuit Censoribus, praesertim P. Cornaeo. Hic in Prologo meo, me
iam iussu et hortatione Ra. Va. scribere, atque illam quam Ra.
Va. in Catalogo Librorum a se edendorum promittit. Si ap-
probat consilium meum, rem gratam faciet, si testimonium
suum ad me mittat Libro praefigendum. Scripsi ad multos
viros doctos, ut ad eum scribant, et symbola sua conferant, et si
quid rarum et curiosum habent, mihi communicent. Idem

à R.a V.a peto, idem à P. Stansel, et ab aliis doctis amicis Romæ commo-
rantibus, quos volenti R.ae V.ae meo nomine, si fieri potest, sa-
lutarit, et ut conatus meos iuvarent, hortaretur; non nostros
tantum, sed et seculares, præsertim D. Magiottum, D. Abbatem Ric-
cium, et D. Eustachium Divini, aliosque. Omnium nomina cum
encomio apponam. Indignatur P. Stansel, nisi putarem illum
scripsisse, et literas ad me non pervenisse, et nisi simul eum
periculoso modo fuisse afflictatum. R.a V.a hortetur illum, ut [illegible]
lis quos mecum faciat, mittique aliqua rara et ingeniosa, vel sua,
vel aliena communicet, in quocunque genere Artis et Scientiæ,
aut rebus naturalibus; de omnibus enim scribo.

Auctor Experimenti Magdeburgici, qui est Amplissimus D. Otto
Gericke, Patritius et Consul Magdeburgensis, illiusque [illegible] Lega-
tus Monasterij in tractatu pacis, salutat R.am V.am et scribit se olim
per filium suum Romæ idem præstitisse. Voluit scire, quæ opera
ab annis quatuor R.a V.a ediderit. Caeteris [illegible] alterius. Mi-
sit suam effigiem. R.a V.a mittat mihi aliquot suas effigies exem-
pla, ut amicis mittam. D. Harstorfferus est Consul Norimbergen-
sis. Hic vivimus in pace. Ego bene semper valui. Vivo contentus.
Vaco studijs meis, et nisi fallor, utiliter laboro pro religione et pro-
ximo. Omnes amant me, si non decipior. Deo gloria. Valde desi-
dero Itinerarium Exstaticum cœleste, quia serviret pro Magia mea
Musico-cosmica. Patientia. Mittat quam primum poterit, ut saltem
pro Magia Astronomica, quam post aliquot menses, si vivam, com-
ponam, serviat. Laudo consilium R.ae V.ae de Itinerario Exstatico
terrestri conscribendo. Etiam brevi librum. O quantum servi-
ret mihi Mundus Subterraneus pro Magia Centrobarica, Chymica, Me-
tallica, Elementari etc. Curet saltem aliqua curiosa et selecta ad
me mitti. ~~Scripsi sæpe R.ae V.ae me~~ Saluto omnes amicos et notos,
præsertim Germanos, et tenui R.ae V.ae sacrificijs et orationibus me com-
mendo. Vale Pater amantissime, Vive Pater dulcissime, prosperare
Pater super omnes æstimate.

Herbipoli 6. Januarij 1657.

R.ae V.ae

Servus in Christo
Casparus Schott